

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput V. De incertitudine, mutabilitate, & inaequalitate iustitiae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT V.

De incertitudine, mutabilitate, & inæqualitate
iustitiæ.*Certitudo
quid.*

DE certitudine videndum, quid sit, & quotuplex certitudo. *Certitudo* nihil aliud esse videtur, nisi firmitas quædam, & immutabilitas veritatis. Illud enim dicitur certum, quòd exploratè, & immobiliter est verum.

*Certitudinis
divisio 1.*

Est autem duplex certitudo. Vna obiecti, id est, rei cognitiæ, vel creditæ: altera subiecti, id est, hominis cognoscentis, vel credentis. Prior certitudo est immutabilis rei, quæ reuera aliter se habere non potest, quàm creditur, vel cognoscitur: qua notione dicimus certum esse, Deum esse bonum, peccatum esse malum. Posterior certitudo est firmitas quædam assensus nostri ad rem, quæ cognoscitur, vel credenda proponitur: de qua certitudine loquimur, cum dicimus; hoc mihi est certum; id est, ita firmiter inhæreo huic sententiæ, vt prorsus de illius veritate non dubitem. Oritur prior certitudo vel à necessitate ipsius rei, si fortè non sit contingens, sed necessaria: vel à determinatione iam facta, si non sit necessaria, sed contingens. Deum esse bonum certum est, quoniam in se est necessarium. Christum venturum esse ad iudicandos viuos, & mortuos, certum est, quia à diuina voluntate determinatum est, quamuis alioqui contingens esset in se, non necessarium. Certitudo posterior nascitur partim à medio, quo nobis res aliqua suadetur; partim ab ingenij bonitate, & voluntatis affecta. Quædam enim sunt media, quæ vim habent gignendi firmum assensum; quædam sunt etiam, quæ non habent. Sic etiam aliqui ex bonitate, vel exercitatione ingenij percipiunt planè vim mediolorum, & certi redduntur: alij contra, ex ingenij tarditate non assequuntur efficaciam mediolorum, & ad eò certi reddi non possunt. Vir doctus, & acutus, certus est, Solem multò terra tota esse maiorem; quod multi rudes non modo non credunt, sed etiam ridendos existimant eos, qui credunt. Denique, ipsum affectum non parum valere ad certitudinem ex parte subiecti efficiendam, testes esse possunt hæretici rudiores, qui sæpe nesciunt ipsi, quid credant, & tamen ita firmiter adherent hæresibus, vt aliquando malint occidi, quàm illas non credere. Quanquam, si propriè loquendum sit, certitudo vera ex parte subiecti nunquam separatur à certitudine ex parte obiecti. Qui enim certò credunt ea, quæ falsa sunt, non tam certi, quàm persuasi esse debent. Potest tamen certitudo vera ex parte obiecti separari à certitudine ex parte subiecti, cum multa sint in se certa, quæ nobis videntur incerta.

*2. Divisio**Certitudinis.*

Sed est alia etiam partitio certitudinis. Quædam enim est certitudo *euidens*; quædam *obscura*: & in vtraque tres quasi gradus distingui possunt.

Certitudo

Certitudo evidens est earum rerum, quæ aliquo modo videntur. Cuius certitudinis primum gradum obtinent prima rerum principia, quæ solis vocabulis explicatis, sine alia ratiocinatione, ab omnibus vera esse creduntur. vt, nõ posse idem esse, & non esse; totum maius esse, quàm partem. Et hæc dicitur certitudo intellectus, siue habitus principiorum. Secundum gradum certitudinis euidentis obtinent conclusiones ex principijs primis euidenter deductæ. Atque hæc dicitur certitudo scientiæ. Tertium gradum obtinent ea, quæ sensibus corporis percipiuntur. Quæ dicitur certitudo experientiæ.

Certitudo evidens.

Certitudo obscura est earum rerum, quæ sola fide, vel opinione nituntur. Cuius certitudinis primum gradum habent, quæ propter diuinam auctoritatem certò creduntur. Et hæc est certitudo fidei Catholicæ, & diuinæ: estque absolutè, & simpliciter certitudo, quia nulla ratione potest ei subesse falsum. Secundum gradum habent ea, quæ creduntur ob auctoritatem humanam, sed ita confirmatam, & celebrem, vt omnem formidinem prorsus excludat. Qualia sunt, Ciceronem, & Virgilium fuisse insignes viros, & similia. Atque hæc dicitur certitudo fidei humanæ, siue certitudo moralis: quæ, tametsi non tanta sit, vt ei nullo modo falsum subesse possit (*omnis enim homo mendax*) tamen tanta est, vt temerarius meritò iudicetur, qui contrà sentiat, aut disputet. Tertium gradum habent illa, quæ tot signis & coniecturis nituntur, vt securum hominem reddant, & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant. Atque hæc dicitur certitudo coniecturalis; & opinionis est potius, quàm fidei.

Certitudo obscura.

Psal. 115.

His explicatis sit propositio prima: *Non possunt homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua iustitia, ijs exceptis, quibus Deus speciali reuelatione hoc indicare dignatur.* Neque necesse est, hoc loco distinguere fidem Catholicam à fide diuina speciali: quamuis enim inter se differant, quòd fides Catholica non tantum diuina sit, sed etiam omnibus hominibus necessaria; fides autem diuina specialis ad eos tantum pertineat, ad quos reuelatio pertinet: tamen non differunt quantum ad certitudinem, neque sunt habitus diuersi, sed vnus, & idem, cum eiusdem æternæ veritatis auctoritate nitantur. Est communis ferè omnium Theologorum, & Academicarum, atque etiam Concilij Tridentini.

Propos. 1.

Prob. primò ex testimonijs diuinæ Script. Prouerbiorum, Ecclesiastæ, Ecclesiastici. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Notat hoc loco V. Beda, rectè Salomonem non dixisse, neminem esse mundum corde, & purum à peccato; sed neminem posse dicere: *Mundum est cor meum, & purus sum à peccato.* Nam, nisi possent homines per gratiam Dei mundum cor habere, non diceret Dauid: *Cor mundum crea in me Deus.* Et: *Beati immaculati in via.* Sed quoniam illi ipsi, qui mundi sunt, non possunt hoc certò scire, neque testimonium aliquod infallibile habent de sua iustitia, ideò nemo potest gloriari, ac dicere: *mundum est cor meum.* Item: *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei.* Et tamen nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Item: *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum, & ne dicas: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

Prob. 1.

Prov. 20.

Psal. 50.

Psal. 118.

Eccle. 9.

Eccle. 5.

Hic locus mirificè pungit hæreticos huius tēporis. Ipsi enim propriè illi sunt, qui, ubi fide sibi visi sunt Christi iustitiam apprehendisse, nullo deinceps metu tanguntur. Et, quamuis adijciant peccatum super peccatum, putant sibi salutem perire non posse, quia miseratio Domini magna est, & credentibus non imputat multitudinem peccatorum. Quos sanè vanissimos iudicat Ecclesiastes: *Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Sed & hoc vanissimum iudico.*

Eccles. 3.

Prob. 2.

Iob. 27.

Psal. 25.

1. Cor. 4.

Iob. 9.

Iob. 31.

Psal. 18.

1. Cor. 4.

Prob. 3.

Dent. 4.

2. Paral. 6.

Isa. 1.

Prob. secundò propositio à testimonio & exemplo trium perfectissimorum hominum, Iob, Dauidis, & Pauli. Nam, si viri isti tam insignes, quorum vnus dicebat: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea*: Alius: *In innocentia mea ingressus sum*: Tertius: *Nihil mihi conscius sum*; non audebant sibi certitudinem gratiæ propriæ arrogare, quis erit ille, qui de propria iustitia non formidet? Igitur S. Iob: *Si venerit ad me, non videbo eum. Si abierit, non intelligam*. Item: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Et infra: *Verbar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti*. Et: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Dominus? Et: cum quaesierit, quid respondebo illi?* S. autè Dauid: *Delicta quis intelligit? ab oculis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo*. s. Hieronymus, & s. Bernardus sententiam huius loci esse volunt, neminem esse iustorum, qui plenè intelligat, careatne peccatis, an non. Et, quamuis hic locus interdum exponi soleat de peccatis venialibus, probabilius tamen est, extendi ad omnia, cum sententia sit generalis, & nihil sequatur absurdi, si generaliter exponatur. Denique, Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Propositum erat Apostoli deterrere Corinthios à iudicijs temerarijs, quibus vnus alium, aut iustum, aut peccatorem iudicat. Ostendit autem iudicium de nostra iustitia Deo esse relinquendum, cum ne nos quidè ipsi nos planè cognoscamus: *Mibi, inquit, pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*; id est, non magni facio aliena iudicia de me, quia non ignoro, quàm sint incerta. *sed neque me ipsum iudico*, id est, nec meo iudicio fidere audeo, quoniam etiamsi nihil mihi conscius sim, tamen non in hoc iustificatus sum; id est, non ideò iustus sum, quia bonam cōscientiam habeo. Fortasse enim Deus videt in conscientia mea id, quod ego non video. *Qui autem iudicat me Dominus est*; id est, solus Deus est verus iudex, ille solus omnia nouit, & tunc verè iustum me putabo, cum Dominus me iustum esse pronuntiabit. *Nolite itaque ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiam, & tunc laus erit vnique à Deo*.

Prob. tertio testimonijs Prophetarum, & Apostolorum, quæ vel requirunt ex parte nostra varias conditiones, vt iustificemur; vel indicant incertū esse, an, qui agit pœnitentiam, consequatur remissionem; vel admonent, vt non simus nimium securi, quasi certi simus de iustitia iam adepta.

Primi generis sunt hæc testimonia: *Cum quaesieris ibi Dominum (nimirum post varia peccata) inuenies eum, si tamen in toto corde quaesieris eum, & in tota tribulatione anime tue*. Et: *Si peccauerint tibi, & iratus fueris, &c.* Et infra: *si conuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu exaudies de caelo, dimittes populo tuo*. Et: *Quiescite agere peruersè, discite bene facere, quarite iustitiam, &c. & venite, & arguite me*,

me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, sicut coccinum, sicut nix dealbabitur, & si fuerint rubra, sicut vermiculus, sicut lana alba erunt. Item: Si impius egerit pœnitentiã Esach. 18. ab omnibus peccatis suis, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, &c. Et: Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego precipio vobis. Et: Nisi pœnitentiã habueritis, omnes Ioan. 15. simul peribitis. Et: si credis in toto corde, licet. Hæc, & similia testimonia manifestè significant requiri aliquid in nobis, vt iustificemur. Luc. 13. Aff. 8.

Secundi generis sunt hæc testimonia: Forſitan ignoscet Deus delictis tuis. Et: Dan. 4. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et paulò post: Quis scit, si conuertatur, & ignoscet Deus? Item, idem: Quis scit, si conuertatur, & ignoscet Deus? Et: Pœnitentiã loc. 2. age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi. Hæc, & similia, quæ Ion. 3. significant incertitudinem remissionis, non faciunt dubias promissiones Dei, Aff. 8. quibus promisit verè pœnitentibus indulgentiam; illæ enim certissimæ sunt: sed respiciunt incertitudinem nostræ dispositionis. Vndecunque autem veniat incertitudo, semper probant hæc testimonia, non debere hominem ita esse securum, vt non semper à Deo petat seriam pœnitentiã, & peccati remissionem.

Tertij generis sunt hæc testimonia: beatus vir, qui semper est pauidus. Et: Non Prou. 28. enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. At si quis 2. Cor. 10. certitudine fidei sciret se iustum esse, posset vtique se commendare, & probatus esset, quia sine dubio minimè falleretur. Et: Cum metu, & tremore salutem Philip. 2. vestram operamini. Et: in timore incolatus vestri tempore conuersamini. Et: satagite, 1. Pet. 1. vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. At, si per bona 2. Pet. 1. opera certitudo vocationis quærenda est, certè etiam iustificationis. Nam Rom. 8. quos vocauit, hos & iustificauit. Quòd si certitudo iustificationis ex bonis operibus pendet, non igitur certus est homo de sua iustificatione mox atque iustificatus est. Rursus, Non igitur ex sola fide pendet certitudo iustificationis. Denique, Non igitur certa est iustificatio nostra certitudine fidei quæ infallibilis est, sed certitudine operum, quæ coniecturalis, atque imperfecta certitudo est.

Prob. quartò propositio testimonijs SS. Patrum.

Prob. 4. & 5.

Prob. quintò varijs rationibus.

Prima ratio probat, non posse haberi certitudinem fidei de propria iustitia 1. Ratio. hoc modo: Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per euidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi diuini verbi auctoritate nitatur. Neque de hoc principio vel Catholici, vel hæretici dubitant. At in verbo Dei non continetur immediatè particularis illa propositio: Talis, vel talis homo iustificatus est: exceptis enim paucissimis, vt Magdalena, & quodam paralytico, qui ab ipso Christo audierunt: Remittuntur tibi peccata tua, cæteri homines in sacris litteris ne nominantur quidem. Vniuersales autem promissiones Matth. 9. conditiones suas requirunt, vt singulis applicentur. Luc. 7. Oportet igitur, vt ex verbo Dei per euidentem consequentiam id colligat, quisquis eam certitudinem habere se iactat. Id autem fieri non posse, probamus hoc modo: Ratiocinatio, qua quis certitudinem fidei de sua iustitia ex verbo Dei concluderet, hæc esse deberet: Verbum Dei testatur, omnes verè conuersos ad Deum, &

pœnitentiam seriò agentes, peccatorum indulgentiam, & gratiam obtinere. Mihi autem euidentis est mea conuersio, & pœnitentia: igitur mihi certum est certitudine fidei me indulgentiam, & gratiam accepisse. Huius argumenti assumptionem dico non solum falsam, sed etiam impossibilem esse, nisi adsit reuelatio. Nam in primis *prauum est cor hominis, & insrutabile, & quis cognoscat illud?* Deinde, videmus re ipsa multos falli, qui se putant habere, quod non habent. Certè B. Petrus, cùm dicebat: *Tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*; se paratum esse credebat mortem subire pro Christo, & tamen verè paratus non erat, vt euentus ostendit: Et Apostolus Paulus, cùm in Christianos fureret, magna se charitate flagrare arbitrabatur, & tamen ex ignorantia fallebatur. Et quis est, qui certus sit se non laborare ignorantia aliqua non probabili, sed crassa, & ex eo peccandi affectum gerere, quem ipse non videat? Denique; Nulla sunt clariora signa veræ conuersionis, & gratiæ iam adeptæ, quàm opera charitatis, & præsertim si quis animam pro Deo ponat. At hoc ipsum potest esse signum fallax, cùm Apostolus dicat, posse hominem sine vera charitate Dei consumere in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradere corpus suum ita, vt ardeat.

2. Ratio.

Secunda ratio probat, neminem teneri ad illam certitudinem habendam, etiamsi fortè posset haberi. Nam talis articulus in nullo Symbolo fidei continetur. Et eiusmodi præceptum in nullo canone Ecclesiastico continetur. Percurrantur Symbola, Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasij, nusquam reperietur talis articulus: Credo me esse iustum. Quod autem in Symbolo Apostolico dicitur: *Credo remissionem peccatorum*, significat, in Ecclesia dari baptismum in remissionem peccatorum, vt explicatur in Symbolo Constantinop. Porro in Concilijs Ecclesiasticis non solum non habetur tale præceptum fidei, sed habetur etiam expresse contrarium in Concilio Trident. id est, non teneri homines ad credendum sibi peccata remissa esse. Adde quòd, si eiusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur omnem hominem, qui peccat quocunque genere peccati mortalis, continuò fieri hæreticum: atque ita nullum esse peccatorem, qui non simul esset hæreticus: neque enim potest, qui voluntariè peccat, credere, se iustum esse, nisi falsum dedira opera credere velit. Et præterea, cùm omnes hæretici ab Ecclesia separentur, & foris sint, sequeretur, nullum peccatorem in Ecclesia esse posse: quæ fuit hæresis Donatistarum. Quid enim sunt grana, & palea in eadem area; boni, & malipifces in eodem reti; oues, & hœdi in eodem ouili; nisi iusti, & peccatores in eadem Ecclesia?

3. Ratio.

Inc. 18.

Tertia ratio probat, non expedire, vt homines habeant ordinariè certitudinem de propria gratia. Nam in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas. Et Dominus per parabolam Pharisei, & Publicani ostendit eos, qui se iustos esse confidunt, facile se ceteris antepone, eosque despiciere: *Non sum, ait, sicut ceteri homines, velut etiam hic publicanus.* Contrà autem ignorantio huius secreti humilitatem conseruat, & auget: facit enim, vt fideles superiores inuicem arbitrentur, & vnus alium honore præueniat.

4. Ratio.

Quarta ratio docet, re ipsa fidelibus eiusmodi certitudinem non adesse. Nam

Nam imprimis, quibusdam singulari beneficio reuelatum esse constat, ipsis remissa fuisse peccata. Id enim testatur de S. Anthonio magnus Athanasius: *In vita S. Anton l. 4. Dial. c. 13. in vit. S. Franc. c. 30.* de S. Galla S. Gregorius: De S. Francisco s. Bonauentura: nec desunt alia eius generis exempla. Quorsum autem Deus id certis hominibus reuelaret, quasi speciali prerogatiua, si fidelibus omnibus esset notitia ista communis? Deinde; Non minus constat alios quosdam, alioqui perfectissimos, in obitu suo propter hoc incertum non mediocriter trepidasse. Refert s. Hieronymus B. Hilarionem in morte dixisse: *Egredere, anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta propè annis seruiuisti Christo, & mortem times?* similia exempla trepidantium sanctissimorum Patrum recenset Ioannes Climachus. Quomodo ergò credibile est, omnibus fidelibus certitudinem adesse de propria gratia, atque iustitia?

Propositio secunda: *Non possunt homines in hac vita habere certitudinem fidei de prædestinatione sua, atque electione ad gloriam, sine speciali reuelatione.* *Propof. 20.*

Prob. primò ex script. Nam Apostolus Paulus de prædestinatione disputans, refert hoc mysterium inter altissima Dei secreta, exclamans: *O altitudo diuitiarum sapientia, & scientia Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius. Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* *Prob. 1. Rom. 11.*

Et quamuis hæc altitudo secreti præcipuè respiciat causam, cur Deus vnum eligat, alterum non eligat, tamen indicat etiam, non posse sciri sine reuelatione, quem Deus elegerit, & quem non elegerit. Nam ex hoc ipso, quòd ignoramus, quid moueat Deum, vt hunc potius, quàm illū eligat, & in eius voluntatem rem totam referre cogimur, intelligimus non posse alia via cognosci, quem eligere, & quem non eligere voluerit, nisi per reuelationem specialē, qua suam ipse voluntatē alicui manifestare dignetur.

secundò; script. hortatur omnes ad timorem, cùm ait: *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time, ne forte & tibi non parcat.* *Rom. 11. 1 Cor. 10.* Et: *Qui stat, videat, ne cadat.* Et: *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* *Philip. 2.* Et: *Tene, quod habes, ne forte alius accipiat coronam tuam.* Et idem: *Videte, ne perdatis, quæ operati estis.* *Apoc. 3.* Et: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* *2. Ioan. 2. Ioan. 2.* *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* *Psal. 2.*

Tertiò; script. disertis verbis docet salutem pendere à conditione operū. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.* *Matth. 5.* Et: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* *Matth. 19.* Et: *Quòd si filij, & hæredes, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* *Rom. 8.* Et: *Si commortui sumus, & conuiuemus.* *2. Tim. 2.* Et ibidem: *Non coronabitur, nisi qui legit timè certauerit.* At concedunt aduersarij, nullam esse posse certitudinem salutis, si ea pendeat à conditione operum: vnde ergò tam confidenter affirmant, se de salute, & vita æterna esse certissimos?

Quarto; script. testatur, multos ad tempus credere, & postea circa fidem naufragare, & perire, vt patet de femine, quod cecidit super petram, quod exponit Dominus de ijs, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à fide.* *Luc. 8.* Et: *Quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* *1. Tim. 4.* Qui autè à gratia, & fide exciderunt, nullam certitudinem habent suæ restitutionis in gratiam: immò script. dicit *1. Tim. 6.*

1. Tim. 2.
1. Cor. 2.

hoc planè esse incertum, cum ait: *Ne forte det illis Deus penitentiam, & respiciant.* Et: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* At, si multi credentes à veritate postea aberrant, reprobii fiant; igitur non erant illi certi ex fide, se perseveraturos; alioqui falsa fuisset eorum fides. Non potest autem certitudo prædestinationis haberi sine certitudine perseverantiæ, cum perseverantiæ sit effectus maximè proprius prædestinationis, & sine perseverantiâ non possit impleri prædestinatio: igitur neque de prædestinatione homines illi certi fuerunt ex fide.

Prob. 2. & 3.
1. Ratio.

Prob. secundò ex testimonijs Patrum.

Prob. tertio rationibus. Prima ratio: Nihil affirmari debet de his, quæ pendent ex sola Dei voluntate, nisi ex manifesta revelatione ipsius: si enim nemo certo scire potest, quid sit in homine, nisi spiritus eius, quomodo magis nemo scire poterit, quid sit in Deo, nisi spiritus Dei? Pendere autem prædestinationem ex Dei voluntate, perspicuum est, quia cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. & quos eligit, non ex operibus, sed misericordia eligit.

Rom. 9.
2. Ratio.

Secunda ratio: Non potest homo certus esse ex fide, an sit dignus odio, vel amore, secundum præsentem iustitiam, quam in se habet. Igitur multò minus ex fide certus esse potest, an sit dignus odio, vel amore, secundum æternum decretum, quod in ipso Deo latet. Neque enim dubitari potest, quin facilius sit notitia præsentis iustitiæ, quam æternæ prædestinationis.

3. Ratio.

Tertia ratio: Nam utilissimum est ad humilitatem conseruandam, ut non sciatur in hac vita, quis ad numerum electorum certò pertineat. Et quamvis posset Deus alia etiam ratione huic elationis morbo medicinam facere: tamè sic placuit magno illi medico, qui ordinem sanandi non accipit ab ægroto.

4. Ratio.

Quarta ratio: hoc quoque utilissimum est propter reprobos. Nam, si scirentur, qui essent prædestinati, reliqui omnes desperantes de salute nihil omnino boni peragere curarent.

Propos. 3.

Propositio tertia: *Fides, & iustitia non est propria electorum, & semel habita amitti potest.*

Prob. 1.

Prob. primò ex Script. Nam tam multa, & tam perspicua sunt Script. testimonia, ut mirum sit, potuisse in mentes hominum contrarium errorem cadere.

Ezech. 18.

Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis. Quid clarius? Quomodo, quæso, auertitur iustus à iustitia, si sola fide iustificatur,

Luc. 8.

& fides semel concepta extingui non potest? Et: *Nam, qui super petram, sunt, qui cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Isti certè suscipiunt semen verbi Dei cum gaudio,

Iaan. 15.

& credunt; neque deest illis fides, sed perseverantiâ in fide. Item: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* At palmes esse non potest, qui aliquando non vixerit in vite: non enim palmites aliunde inseruntur, sed nascuntur ex vite, & non mortui, sed viui nascuntur. Sic igitur fideles in Christo renascuntur, & cum renascuntur, non mortui sunt, sed viui, & tamen, si, postquam renati sunt, fructum bonorum operum ferre recusent, arescunt, præciduntur, & pereunt. Item: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Ex hoc loco intelligimus, non omnes iustos perseverare, ac per hoc, non omnes iustos saluari.

Matth. 24.

saluari.

saluari. Illud enim : *refrigescet charitas*, extinctionem planè significat charitatis : alioqui non opponeretur perseuerantiæ vsque in finem. Item : *Ca-*
stigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cum alijs predicauerim, ipse repro-
bus efficiar. Et : *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, & à gratia excidistis.* Gal. 5.
 Quomodo possent euacuari à Christo, & à gratia excidere, si in Christo, &
 in gratia verè nunquam fuissent? Et : *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Et : *In*
nouissimis diebus discedent quidam à fide. Et : *Quam quidam appetentes errauerunt à fide.*
 Et : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestè, &*
participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, viri-
resque seculi venturi, & prolapsi sunt : renouari iterum ad pœnitentiam. Quid hic dici
 potest? Non habuerunt veram fidem, qui discesserunt à fide? Et quomodo
 naufragauerunt, qui in naui nunquam fuerunt? Num verè iustificati fuerant,
 qui illuminati gustauerunt donum cœlestè, & participes facti erant Spiritus
 sancti, & tamen prolapsi sunt? Dicit autem Paulus, *impossibile eos renouari ad*
pœnitentiam ; id est, difficillimum, & rarissimum esse, vt renouentur. Nam, vt
 idem ait : *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relin-*
quitur hostia pro peccato : terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis amulatio,
quæ consumptura est aduersarios. Et Petrus : *Melius erat illis, non cognoscere viam iu-*
stitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto m-
dato. Contigit enim illis illud veri prouerbij : *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota*
in volutabro luti. poteratne clariùs explicari vera prolapsio? Nam, qui reuertitur
 ad suum vomitum, certè antea vomuerat, & vomendo pectus purgaue-
 rat : & sus lota nō diceretur reuerti ad volutabrum luti, nisi de illo antea existi-
 uisset, & lota verè fuisset.

Prob. secundò exemplis eorum, qui Spiritu sancto referente, fidem, vel
 charitatem amiserunt. Primò ; Angeli mali, qui Script. teste peccauerunt, &
 ex Angelis Diaboli fieri meruerunt, certè antequam peccarent, iusti fuerant,
 vt colligunt S. Patres ex Isaia, & Ezechiele. Secundò ; primi nostri parentes
 ad imaginem, & similitudinem Dei conditi, fide, & gratia ornati erant, etiam
 aduersarijs testibus, & tamen eos grauissimè lapsos esse, aduersarij negare nō
 possunt. Tertiò ; Saul Rex initio bonus, & iustus erat, & tamen non solum
 peccauit, sed etiam reprobus, & damnatus creditur. Id enim insinuat Script.
 & apertè asserit S. Augustinus, & ante eum Cyprianus. Quartò ; Dauid Rex
 omnium consensu iustus fuit, cum de eo diceret Deus : *Inueni Dauid virum se-*
cundum cor meum. Et tamen quis negare potest eum verè à gratia, & iustitia ex-
 cidisse, & secundum aduersarios, qui fide sola iustificant, à fide excidisse?
 Magnitudinem enim peccati eius testatur pœnitentiæ magnitudo ; qua laua-
 bat per singulas noctes lectum suum, & lachrymis suis stratum suum riga-
 bat? Quintò ; salomon fuit aliquando verè iustus, & à Deo singulariter dile-
 ctus. Nam dicit de eo Deus : *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et :
Vocauit nomen eius, Salomon, & Dominus dilexit eum, misitque in manu Nathan Pro-
pheta, & vocauit nomen eius Amabilis Domino, ed quòd Dominus diligeret eum. Hunc
 autem virum in senectute à gratia, & iustitia excidisse, script. testatur : quæ
 refert, eum etiam idola omnium concubinarum suarum turpissimè coluisse.
 Eundem planè reprobum, & damnatum esse, indicat s. Cyprianus, & post
 eum :

1. Cor. 9.

Gal. 5.

1. Tim. 1.

1. Tim. 4.

1. Tim. 6.

Hebr. 6.

Heb. 10.

2. Pet. 2.

Prob. 2.

Isa. 14.

Ezech. 28.

1. Reg. 15.

10.

L. 2. ad Sir.

plicitanū, 9.

L. 1. Epist. 3.

Act. 13.

Psal. 6.

2. Reg. 7.

2. Reg. 12.

L. 1. Epist. 3.

eum :

eum S. Augustinus. Sextò; S. Petrus sine dubio iustus erat, cum ei diceretur à Domino: *Beatus es Simon Bar-tona. Et: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Et tamen peccauit negando Christum, & negationem per iurio confirmando. Septimò; Simon Magus conuersus à Philippo credidit, & baptizatus Philippum sequebatur: & tamen hæresiarcha factus miserè perijt. Octauò; Iudas proditor, etiamsi solus esset, exemplo suo omnia ora obstrueret. Nam fuisse Iudam aliquando iustum, prob. ex illis verbis: *Pater, quos dedisti mihi, custodini, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Nam, si Pater dedit illum filio, certè bonus erat; & si perijt ex grege, certè antequam periret, in Christi grege numerabatur. Constat autem Iudam reprobum, & damnatum esse, tum ex hoc loco, vbi dicitur *filius perditionis*: tum ex illo: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Habemus igitur octo exempla, quorum tria, Adami, Dauidis, & Petri, demonstrant iusticiam posse & amitti, & recuperari: alia quinque, Satanæ, saulis, salomonis, simonis, & Iudæ, indicant posse alios verè iustos ita excidere à iusticia, vt inter reprobos numerari non sine ratione credantur: proinde iusticiam non semper esse propriam electorum, sed cum reprobis aliquando communem.

Prob. 3. & 4.
1. Ratio.

Prob. tertio propositio traditione, & definitione Ecclesiastica.
Prob. quarto rationibus. Prima ratio: Fides, quæ secundum Caluini sententiam immobiliter hæret in corde hominis semel iustificati, sine dubio non est actus, sed habitus. Actus enim non semper est in corde hominis iustificati, vt docet experientia: habitus autem non impedit ex necessitate actum contrarium, vt perspicuum est ex ratione, & natura omnium aliorum habituū, qui inclinant ad suum actum, sed non cogunt. Poterit igitur is, qui habet habitum fidei, facere actum infidelitatis. At secundum script. qui facit actum infidelitatis, perdit etiam habitum: nam efficitur simpliciter infidelis, & inimicus Dei, & reus mortis æternæ: & ex doctrina aduersariorum, per omne peccatum excutitur fides iustificans, & effunditur ex corde spiritus sanctus.

2. Ratio.

Secunda ratio: Infantes omnes per Baptismum verè iustificantur, & fidem accipiunt, etiam testimonio aduersariorum; immò etiam ex sententia Caluini filij fidelium nascuntur sancti. At quis credat omnes filios fidelium, vel certè omnes, qui in infantia baptizantur, esse prædestinatos, & non posse peccare, aut damnari? Nonne videmus, multos in infantia baptizatos, cum adoleuerint, grauisimè peccare? Adde, quòd, si hoc paradoxum verum esset, Catholici omnes, qui in infantia baptizati sunt, prædestinati essent ad vitam, & perire non possent, quos tamen isti pro membris Antichristi, & infidelibus habent:

3. Ratio.

Tertia ratio: si fides amitti non potest, vnde tot sunt in mundo hæretici? Hoc enim interest inter paganos, & hæreticos, quòd pagani fidem nunquam habuerunt. Hæretici habuerunt, & amiserunt. *Ex vobis ipsis,* inquit Apostolus, *exurgent viri loquentes peruersa.* Et: *Hymeneus, & Philetus à veritate exciderunt.* Et: *Hæreticum deuicit, sciens, quia subuersus est, & c.*

4. Ratio.

Quarta ratio: si iusti peccare non possent, quorsum tot admonitiones, & cohortationes Apostolorum, & prophetarum, & omnium sequentium Doctorum Ecclesiæ, ad populum Dei, vt timeant, vt caueant, vt sint solliciti?

Quor-

Quorsum ipse Dominus Apostolos suos, & omnem Ecclesiam orare iussit: *Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo?* *Matth. 6.*
 Quorsum pœnitentia, absolutio, & reconciliatio lapsorum defenditur contra Nouatianos, si iusti peccare non possunt?

Quinta ratio: Ista sententia aduersariorum non solùm certitudinẽ nullã adfert, *3. Ratio.*
 sed planè desperationẽ inducit: proinde non modò contraria est verè doctrinæ Catholicorum, sed etiam ipsorum hereticorum proposito, & instituto, qui nihil sapius iactant, quàm solidam consolationem se conscientijs hominum ex certitudine iustificationis adferre. Nam, si præsens gratia, & iustificatio vera esse non potest, nisi quis certus sit de perseverantia, ita vt vel certò sciat, se nunquam lapsurum, vel ad pœnitentiam rediturum, quomodo fieri potest, vt vllus sani cerebri certò speret, se verè iustum esse, cum de futuris euentibus nihil sibi certi polliceri, nisi temerè, possit? & cum videat quotidie se, & alios in varia peccata labi cõtra conscientiam? *Ne glories in crastinum (inquit Sap.) ignorans, quid superuentura pariat dies. Et: Ante mortem ne laudes quenguan.* *Prou. 27. Eccli. 11. Iac. 4.*
 Et S. Iacobus: *Ignoratis, quid erit in crastino.*

Propositio quarta: *Non omnes iusti inter se pares sunt.* Est contra Iouinianum, *Propos. 4.*
 qui dicebat, virtutes esse pares, & peccata quoque esse paria: & contra Lutheranos, qui non negant, hominem posse crescere in fide, spe, & dilectione, alijsque virtutibus; sed ideò negant, vnum alio esse iustiorẽ, quia vna, & eadem Christi iustitia fide apprehensa, atque à Deo imputata omnes iustificari docent.

Atque error Iouiniani quidem euidenter refellitur his testimonijs: *Nunquid Proo. 1. considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* Et: *Non erat vir de filijs Israel melior illo.* Et: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Et: *Beatus vir, cuius est auxiliũ abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, &c.* Apostoli quoque petũt sibi fidẽ augeri. Et: *Nò surrexit maior Ioanne Baptista.* *Luc. 17.*
 Et: *Non inueni tantã fidẽ in Israel.* Et: *Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ.* *Matth. 11. Matth. 8. Luc. 7. Matth. 13. Rom. 12. 1. Cor. 12. 2. Tim. 2.*
 Huc pertinent varia similitudines. Nã Ecclesia cõparatur terræ, quæ pro varia dispositione alicubi reddit fructum tricentũ, alicubi sexagenũ, alicubi centenũ. Cõparatur etiã corpori humano, in quo sunt varia mēbra, & alia sublimiora, alia inferiora, alia nobiliora, alia viliora. Dicuntur etiã in domo Dei esse vasa aurea, & argentea, lignea, & fictilia: & sine dubio præstantiora sunt aurea, quàm argentea; & argentea, quàm lignea, aut fictilia. Quò etiam spectat illa similitudo Apostoli de his, qui supra fundamentum fidei ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas. Denique; Idem probant omnia testimonia, quæ docent, præmia in cœlo non esse paria: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et: *Alia claritas Solis, alia claritas lune, alia claritas stellarum, & stella differt à stella in claritate.* *Ionn. 14. 1. Cor. 15.*

Neque his repugnat, quòd dari videatur idem præmium omnibus operarijs, videlicet denarius quidam diurnus. Nam denarius ille significat æqualitatem æternitatis, non gloria, & excellentiæ. Itaque datur omnibus idem denarius, quoniam sancti omnes sine fine regnabunt, quamuis non omnes eadem eminentia regnabunt. Sicut etiam commune est stellis omnibus, perpetuò

tuò fulgere in cœlo, tametsi alix alijs clariores micent. Atque hoc modo locū istum exponunt S. Patres.

Prob. 2.

Prov. 4.

Aduersus Lutheranos autem primò pugnat illud: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Hic enim describitur iustitiæ ipsius progressus per similitudinem lucis, quæ ab aurora progreditur ad meridiem. Sicut enim vera lux est, quæ fulget in aurora, & semper augetur, & crescit vsque ad perfectionem meridianam: sic etiam vera iustitia est in hominibus iustificatis, & ea tamen semper magis, ac magis augetur, donec ad perfectionem beatorum in cœlesti beatitudine pertingat.

2. Cor. 9.

Secundò, illud Apostoli: *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Quomodo enim Deus augebit incrementa frugum iustitiæ nostræ, si nulla in nobis sit iustitia, nisi Christi, quæ augeri non potest?

Apoc. vlt.

Tertid, repugnat illud S. Ioannis: *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quis autem dubitat, eos, qui in sordibus sunt, verè posse adhuc sordescere, & vnum esse sordidiorum alio? cur igitur non concedunt, posse etiam iustos effici iustiores, & vnum alio in iustitia maiorem esse?

Ioan. vlt.

Luc. 7.

Ioan. 15.

1. Ioan. 4.

Quarto, pugnant omnia loca, in quibus dicitur charitas augeri, & in vno maior esse, quàm in alio. *Diligis me plus his?* Et: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et: *Cui minùs dimittitur, minus diligit.* Item: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et: *Qui timet, non est perfectus in charitate.* Nam secundum

1. Ioan. 3.

Scripturam iustitia nihil aliud est, nisi charitas. Nam Apostolus pro eodem accipit iustum, & diligere: *In hoc, inquit, manifesti sunt filij Dei, et filij Diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum.* Et ibidem: *Qui non diligit, manet in morte.* Et: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Item, Apostolus Paulus; cum ait: *Regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto:* per iustitiam intelligit charitatem, cuius proprij sunt effectus,

Rom. 14.

Gal. 5.

Matth. 5.

pax, gaudium, iuxta illud *Fructus autem Spiritus sunt Charitas, gaudium, pax.* Et Dominus, cum admonet, vt iustitia nostra abundet plusquam Scribarum, & Phariseorum iustitia, præcipuè loquitur de charitate. Scribarum enim, & Phariseorum iustitia erat, diligere amicos, & odio habere inimicos: iubet autem Christus, vt diligamus etiam inimicos, & sic iustitia nostra abundet plusquam Scribarum, & Phariseorum. Itaque, cum aduersarij non negent disparitatem charitatis in regeneratis, non possunt etiam negare disparitatem iustitiæ.

Matth. 25.

Philip. 3.

2. Tim. 4.

Quintò, pugnant contra eos omnia loca, quæ docent in cœlo varietatè esse præmiorum, & coronarum, quæ supra citata sunt contra Iouinianum. Nam præmia regni cœlorum propriè iustis parata sunt, vt Dominus ait: *Ibunt iusti in vitam æternam.* Et Apostolus vocat beatitudinem *brauium superna vocationis.* Et apertius vocat *coronam iustitiæ, quam reddet iustus iudex.* Quare, si diuersitas est in cœlo præmiorum, sine dubio diuersitas est in terra meritòrum; & si varia est corona iustitiæ, varia quoque est ipsa iustitia. Non sunt igitur omnes regenerati æque iusti. Accedant etiam contra ytrumque errorem testimonia Patrum.

Prob. 3.